

pora demittunt, alii somno indulgent, quidam curandis corporibus intenti, nihil minus quam eruptionem ab hoste ullam expectabant: pauci Nanis Strocii ductu, quem cum quadringentis equitibus Ferrariensis Marchio ex fœdere in castra miserat, in statione erant. In eos jam ad multum diei equis sedentes, Philippi duces, subito clamore sunt invec̃ti. Sustinuit eorum impressionem fortiter Stroc̃ius: sed dum obstinatius locum retinere nititur, a conferta hostium suorumque multitudine pressus exanimis concidit. Tum vero ad ipsum clamorem excitatus miles, alii semisomnes, alii præ nimio clamore incerti, quæ signa, cujus imperium sequerentur, titubare: multi, temere arreptis armis, in hostes ruentes turpiter fundebantur. Nec res prius sisti potuit, quam cum lectis cohortibus Carmaniola signa intulit: tum superante Venetorum multitudine, ad tubarum cantum hostis quasi victor ovañsque se in oppidum recepit, mille & quingentis equitibus pugna illa tumultuaria amissis. Venetus Imperator tam diu ibi esse voluit, donec cohortes, quæ nuper Patavii fuerant conscriptæ, in castra venissent. Hæc Forlivieñsis Blundus, qui, ut ipse scribit, Brixia per id tempus erat, ac nescio an in castris quoque fuerit, interim dum res ita gesta est; sed ex commentariis quos nobis tradidit Mariotus Montanus, qui omnibus his rebus interfuit, æquo Marte eo die pugnatum didicimus: nec ullam majorem cladem, præter paucos, qui nimio æstu sub armis media pugna perierant, a Veneto acceptam.

Post hæc Carmaniola novam metandi viam est ingressus, duobus millibus agrestium qui in castris erant, quique currus præ se agebant, divisus; horum singulis pluribusve ductorum aliquis aut centurionum est datus, quibus illi parerent, ut quum movenda essent castra, certior esset machinarum convec̃tatio. Imperatum ad hæc, ut ubi ad metandum locus captus esset, dispositis in orbem curribus, quasi vallo quodam exercitum clauderent, hærentque singulæ suis curribus cohortes, pro vallo firmissimo,